

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Georg Mejer Jacobus Repentin

Disputationum Physicarum Decimatertia De Orbibus Coelestibus, Stellis, & earum affectionibus

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742736598>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn742736598/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742736598/phys_0001)

DFG

R. U. phil. 1609. 10.

12.99

35 1717



Disputationum Physicarum
DECIMATERTIA
DE
ORBIBUS COE-
LESTIBUS, STELLIS,
& earum affectionibus.

Quam
Divina adspirante gratia
In Inclita Academia Rostochiensi

SUB PRÆSIDIO

M. GEORGII MEIERI
Duderstadensis Saxonis.

Tuebitur
JACOBUS REPENTIN
Plav: Megap:
ad diem 30. Iunij horis & loco consuetis.



Rostochij Typis Myliandrinis Anno 1610.

VIRIS

Reverendis, doctis, veroq; vera pietatis zelo conspicuis

DN. CHRISTOPHORO
LEMMEKENIO,

Plaviensis Ecclesiae Pastori, dignissimo, vigilantissimo.

DN. JOHANNI BUSCHIO,
ibidem verbi divini ministro fidelissimo.

DN. GEORGIO KENATZIO
Scholæ Plaviensis Rectori.

UT ET

DN. MATTHIÆ LEPPINO,
Scholæ patriæ Cantori.

Dominus Patronis, Mecenatibus, Praceptoribus, & amicis
certissimis, debiti honoris & amoris ergo

Hoc γύμνασμα Φυσιολογίαν

Dedico

Obfero

JACOBUS REPENTIN.

DE ORBIBUS, STELLIS, ET EARUM AFFECTIONIBUS.

Theorema I.

Dantur in cœlo orbes reales.

DE Cœlo generatim actum fuit: nunc ad specialior-
rem ejus considerationem accessum facimus, de
orbibus cœli, stellis, & earum affectionibus actu-
ri, quantum quidem instituti nostri ratio feret:
Nam perfectam, & omnibus numeris absolutam
eorundem pertractionem, ad scholas mathema-
ticas reijcimus.

II. Initio autem in cœlo orbes occurunt, non quidem imagi-
narij, ut volunt Recentiores quidam: sed reales. 1. Quia cœlum
est corpus simplex: Si ergo non plures essent orbes realiter distin-
cti, simplex quoq. & unicus esset motus, quod tamen falso esse
testatur sensus, & experientia. 2. Quia si non essent orbes reales,
sequeretur, a. quod nulla regularitas motuum in cœlo esset: haud
enim secus, ac pisces in aqua, moverentur stellæ in cœlo. B. quod
cœlum nulla corpora solida, qualia sunt stellæ, recipere posset.

III. Timpleris vero cum alijs, vetustam hanc, de reali orbium
caelestium existentiâ sententiam, conatur impugnare lib. i. Phys.
c. 3. q. 16. par. 2. sequentibus rationib. 1. Quia orbes, sicut
circuli, in cœlo stellato tantum sunt imaginarij, ab homini-
bus nimirum ingeniosis excogitati ad rectius explicandum
motum stellarum: 2. Quia cœlum est unum corpus conti-
nuum, non autem discontinuum: 3. Quia stellæ per se mo-
ventur in cœlo, sine orbium adminiculo, & circumductio-

ne. 4. Quia cœlum est substantiæ tenuissimæ & subtilissimæ, quæ rigidam illam, & crassam orbium compagem omnino respuit. 5. Quid non credibile est, ob unius alicujus stellæ circumgyrationem, tam vastam orbis machinam, à Deo creatam esse, cum Deus sit compendij autor. 6. Quia ex orbium assertione plurima in Physica & optica absurdum sequuntur, cujusmodi sunt: a. dari vacuum inter singulos orbes, ob stellæ secundum dimidiam sui corporis partem, extra circumferentiam orbis eminentem. b. propter diversa media perspicua, per quæ radij stellarum transcunt, & manifestè refringuntur, non posse ipsas stellas in loco suo proprio cerni.

IV. Ceterum harum rationum certitudo non est tanta, ut orbis reales destruere possit. Nam prima principium petit. Quod ritur, an orbis sint reales? respondet Tiplerius, quod non: quia imaginarij. Hic probare debebat, quod essent imaginarij, & non reales. Dicit vero, quod circuli ab artificibus sint excogitati, ad rectius demonstrandum motum stellarum, quod non negamus, sed nè propterea & orbis excogitati? Non valet inquam: circuli sunt imaginarij, Ergo & orbis: alias pari Logicâ concluderem, ipsum cœlum esse imaginarium. Secunda ratio dubium per aquæ dubium probat. Esse enim cœlum, corpus unum continuum, similiter probari debebat, non simpliciter affirmari. Contiguum illud, non continuum agnoscimus, cujus partes, absq; ulla interstitione se tangunt (orbis enim unus alterum includit) sed nullo communi coherent termino: quemadmodum partes unius continui. Tertia eodem laborat vitio. Probat quidem Tiplerius alibi, lib. 2 phys. c. 3. quæst. 1. par. 2. stellas per se, sine orbium adminiculo moveri, aliquot rationibus, sed eas infra theor. 4. examinabimus. Quartæ refutata est in præcedenti disputatione theor. 4. Ad quantum respondemus, nobis non integrum esse, Deo aliquid praescribere, tametsi compendij est autor. Deinde magis credibile est, stellas moveri

mo veri ad motum orbium, quibus infixæ sunt, quam quod in cœlo,
volitent, tanquam volucres in aere. Nec absurdâ illa duo quæ in
sexta & postrema ratione recensentur, ex nostra assertione sequuntur.
Non primum, quia non statuimus stellam tanquam globum
quendam distinctum ab orbe, orbi infixam esse, sed esse partem
sui orbis densorem, extra orbem haud eminentem, quare vacuum
nullum intra orbes metuendum: Non secundum, nullam enim
fieri radiorum stellarum refractionem, ob soliditatem cœli, theor.
¶ sect. 2. super. disputat. probatum dedimus.

Theorema II.

Motus orbium in cœlo, non excitat concentum harmonicum.

Pythagoras & Plato olim contendebant, motu orbium cœlestium sonū, & harmoniam effici, ac musicam nostrā, similitudinem
gerere harmonie illius in cœlo. Verum opinio hæc, quia nullâ prorsus
nititur ratione, meritò exploditur. 1. Quia sonus non nisi auribus percipitur. Iustum autem sonum, qui fit in cœlo, ejus patroni
aurib. percipere nō potuerunt. Unde ergo quæso in istius cognitione pervenierunt? Sed dicebant, quod adeò huic sono simus assueti,
quod ob consuetudinem, illū amplius haud exaudiamus, quemadmodum fabri sonitum malleorum ob consuetudinem non auditant,
ut videre est apud Philosophum lib. 2. de cœlo c. 9. Res eodem
recidit. Nam si ob affectionem, cum non audimus, quaro
itidem, unde nam ipsi sonum habeant? 2. Quia ad producendum
sonum necessariò requiritur medium, aer videlicet, qui tamen in
orbibus locum nullum habet. 3. Quia sonus oritur ex violentia
corporum duorum collisione, qualis non datur in orbibus cœlestibus.

Theorema III.

Stella est densior sui orbis pars, globosa,
& lucis particeps.

I. Negat Timplerus stellas ejusdem esse natura cum cælo in quo consistunt, lib. 2. Phys. c. 1. q. 10. par. 2. ob rationes: 1. Quia stellæ inquit sunt corpora lucida: cœlum autem non. 2. Quia stellæ ex luce primæva ortum suum habet. 3. Quia stellæ non sunt corpora diaphana, cum per earum substantiam nihil transparere possit: Cœlum autem est corpus diaphanum. 4. Quia stellæ continuo motu circulari in cœlo moventur: cœlum autem non. 5. Quia fines quorum grauiæ, stellæ à Deo fuerunt conditæ, non competunt cœlo.

II. Nos vero diversam in cœlo, & in stellis naturam, sive materiam non agnoscimus, partim quod pars in simplicibus corporibus, ejusdem sit natura cum toto: Non alia est materia Lunæ globo, & alia illius cœlo, essent enim duæ materiæ, sed in globo plus est materiæ, si cum æquali ejusdem cœli parte comparetur. Etenim cohæsione, & difsita cuiusq; constitutione differunt. Hoc rarius est: illud densius. Scalig. exer. 61 sect. 1. partim quod stellæ, ratione substantia cœli, magis vel minus condensata, magis minusq; luceant.

III. Quare ad rationum Timplerianarum primam respondemus, verum non esse, quod cœlum non sit corpus lucidum: Non minus enim cœlum definitur corpus lucidum, quam stella, quam luciditas ista stellis magis competit, quam cœlo. Magis autem & minus non variat speciem. Non admittenda veterum metaphoræ, qui stellam in cœlo, velut in tabula nodum arbitrabantur. Sidus enim est Cœlum suum densum: Et cœlū est sidus suum rarum. Scalig. exer. 61. f. 1. Ad secundam, stellas, quod sint substantia, non posse originem habere è luce primava, qua utiq; in se considerata, accidens fuit. Si vero Timplerus intelligit subjectum, in quo illa lux primæva fuit, ipsi probandum incumbit, ex eo ortum habere stellas, & se hoc probavit, illud materiæ discrepasse à cœlo. Ad tertiam, quod stellæ quia densesores sunt cœli partes, non possint esse corpora diaphana, ita ut ipsum cœlū: ideoq; non simpliciter dicimus, stellæ esse partē

orbis, sed partem densiore orbis sui. Ad quartam, falsum prorsus esse, quod cælum continuo motu circulari non moveatur. Quero enim ex ipso, an cælum semper moveatur? procul dubio affirmatè respondebit, cælum enim nunquam quiescit, licet unius orbis motus celerior sit, alterius motu: Si igitur sèper abq; ulla quiete movetur, quero ulterius, an motu circulari? hanc inficiari ibit. Ergo quia cælum semper circulariter movetur, nunquam quiescit, continuo motu circulari movebitur. Ad quartam, insufficientem esse enumerationem partium sive specierum. Non enim qua unicā tantummodo causā, prasertim externā differunt, statim ipsa differunt, sed qua omnibus causis.

IV. Globosam vero sive rotundam habere stellas figuram, visus ipse testatur. Quare oporosā demonstratione id ipsum opus non habet.

V. Quod deniq; propriam ac congenitam lucem habeant stellæ, inde patet, quia distinguuntur luce & claritate, si igitur plius minusve reperitur in stellis claritatis, omnes suā habebunt lucem, quanquā non negamus, majus accipere lumen stellæ à sole, id quod manifestò apparet in Luna, quæ lumen à sole mutuatur, sicuti in ejus augmēnto, decremente, & eclipsi videre est.

Theorema IV.

Stellæ non moventur per se, sed ad motum orbium, quibus insunt.

I. Aristotelis hæc est, imò omnium ferè Philosophorum sententia, eaq; probatur: Quia si moverentur absq; orbibus, 1. non esset immota earum distantia, & circulorum perpetua repetitio. 2. Cœlesti stellæ secarent, quod tamē fieri non potest, siquidē corpus est solidum, ut theor. 4. superior. disputat. probatum est.

II. Sunt vero, & reperiuntur è recentioribus Philosophis non nulli, cum quibus facit Timplerius lib. 2. Phys. c. 3. q. 1. par. 2. qui sententiam hanc, ut erroneam reijciunt. Argumenta quidem satis multa

multa habet Timplerius, sed debilissima, ita ut non pondere, sed rū-
mero eorum certare videatur. Ea vero haec sunt. 1. Quia scriptu-
ra S. non cœlo, sed stellis tribuit motum. 2. Quia sensus
testatur Solem & Lunam oriri, & occidere. 3. Quia Planetæ
inter se nunc coēunt, nunc sibi mutuò opponuntur &c.
4. Quia nisi stellæ motu proprio moverentur, sequeretur
inde: a. illas per se stare non posse, quod tamen de Sole &
Luna scriptura expressè affirmat Ios. 10. b. illas, quoad
motum localem deterioris esse conditionis, quam Cometæ
sunt, qui proprio motu feruntur. 5. Quia stellæ eo fine à
Deo sūt creatæ, ut suas periodos, à Deo ipsis definitas, motu
est distinctū. 7. Quia stellæ sunt incolæ cœli medij, in eoq;
commorantur. 8. Quia olim mulii ex patribus, hanc ean-
dem sententiam tutati sunt.

III. *Numero inquam rationum, non pondere pugnat Timple-
russ.* Nam prima, secunda & tertia, motum quidem stellarum pro-
pugnant, de quo non est controversia, moveri vero eas extra orbem
non probant. *Quarta duo absurdâ nostram sententiam concomi-
tari, qua tamen absurdâ non sunt, probat.* Nam absurdum non
est, stellas per se stare non posse sine orbibus, præsertim cum testi-
monium quod citat Timplerius ex Ios. c. 10. nostram sententiam non
infringat. Dicit Iosua, quod Sol steterit, ipsum vero per se, extra
orbem stetisse non efficit. Neg. cometa propterea stellis præferenda,
quod per se moveatur, sed potius eandem ob causam stellæ, cometa
præferenda: nam motus cometa, ob id quod non sit stella, certo cui-
dam orbi infixa, non potest esse constans, regularis, & perpetuus,
quemadmodum motus ipsarum stellarum. *Quinta ratio similiter*
nihil probat. Nam possunt stella suas periodos, in & cum orbibus
suis absolvere. *Sexta, supra theor. 1. refutata est.* Septima an certi
quippiam inferat, alijs judicandum relinquo. *Octava & postrema,*
quia saltem autoritate nititur, probandi vim habet per exiguum, non

non enim ea, nisi etenim, quatenus suffulta est argumentis ac rationibus, admittenda est.

Theorema V.

Propriæ cœli affectiones sunt: lux, lumen,
& influentia.

I. Lux quæ omnia collustrat, non est forma cœli substantialis, ut quidam volunt, sed accidentis. Nam licet lux agere dicatur in hac inferiora: attamen non principaliter, sed instrumentaliter agit, quâ sol & cœtera corpora lucida utuntur ad caloris productionem, in hisce inferioribz. Producit autem lux lumen, non quidem per decisionem & effluxum è stellis, alias mutatio in corporibus cœlestibus locum haberet: sed per emanationem. Et differt à lumine, tanquam id quod rei inest, ab eo quod à re emanat. Est enim lux qualitas corporis lucidi, lumen vero actus diaphani. Scal. exer. 71. s. 1.

II. Lumen itaq; à luce fluit. Non ergo Ens intentionale existit, siquidem effectus nunquam totu; genere deterior est sua causa, lux igitur si est Ens reale, quidni & lumen Ens reale erit. Præterea ipsum lumen revera corpora hac inferiora afficit. Non poterit ergo esse Ens intentionale, quod suam existentiam tantum in mente habet.

III. Neg. tamen corpus lumen erit. 1. Quia lumen corpus penetrat, aërem scilicet: nulla enim perspicua pars dari potest, quæ luminosa non sit. Quod autem aliud corpus penetrat, ipsum corpus non est: per naturam enim, corporum dimensionumq; penetratio possibilis non est. 2. Quia non per se extra subjectum subsistere potest. Corpus autem omne, quia est substantia, per se subsistere potest. 3. Quia tenebra, lumen privatio, accidentis sunt. Habitum autem, & privatio, in eadem sunt categorias.

IV. Nec obstanta argumenta. 1. Quod lumen per se moveatur, refrangatur, & reflectatur. 2. Quod lumen à corpore lumenoso,

noso, puta Sole, progreediatur: Accidens enim si esset, non migraret è subjecto.

V. Nam primò falsum est, quod lumen per se moveatur: Non per se, sed ad similitudinem tantummodo dicitur moveri. Refrangi autem reflecti non propriè, sed impropriè dicitur. Refrangi quidem, quatenus in corpus densum incidens, non integrè in id recipi potest: reflecti vero, quatenus in corpus opacum incidens, ex se aliud simile lumen producit. Deinde non omne illud est corpus, quod à corpore progrereditur: nam calor progrereditur ab igni, neq; tamen calor est corpus. Ideoq; dicendum, quod lumen quidem à Sole progreediatur, sed non ita, ut subjectum suum relinquit: non enim lumen in aëre existens, aërem subjectum agnoscit, sed astra, à quibus proficiscitur subjectum manent, nam emanat quidem, non vero egreditur ab astris, lumen.

IV. Influentia deniq; caelestis, non modò, lumine & motu mediantibus, sed & insuper occultâ qualitate fit in hisce inferioribus, non quidem indiscretim omnibus, sed materialis tantum: Nam astra nihil juris, aut imperij habent in voluntatem, & intellectum humanum, ut theorema sequens ostendet:

Theorema VI.

In astris non est vis quædam, quæ hominum ingenij, & voluntatibus dominetur.

I. Sunt quidem non pauci, qui contendunt, astra in voluntatem hominis agere, à quibus tamen nos abimus, hisce nixi rationibus. 1. Quia si astra agunt in voluntatem hominis: aut agunt cum ratione, aut sine ratione. Si cum ratione, necessum est, ut sint animata, ac intelligentia, quod tamen falsum est: Si sine ratione, non possunt voluntati humana dominari, alias effectus totogenerere esset nobilior suā causā, quod absurdum est: Nihil enim agere potest, supra suas vires. 2. Quia si astra dominantur & agunt,

agunt in hominis voluntatem: aut erit ille actio violentia, aut naturalis. Non violentia, alias homo non esset sui juris, & ob id, nec virtutis nec vitiorum causa. Si naturalis, sequeretur, finiti corporis, ratione individuorum infinitorum, multiplicari posse operaciones, quod cum omni ratione pugnat. 3. Quia nulla est inter astra, & voluntatem humanam proportio, quam tamen intervenire oportet, ad quamcunq; actionem producendam. Inter agens & patientes, certa debet esse proportio.

II. Sed audiamus & eos, qui contrarium statuunt. Ajunt 1. Experientiam testari, eos, quos Capricornus aspergit, nascire, ges, quos Saturnus, melancholicos. 2. Stellas non frustra esse creatas à D^Eo. 3. Solem & Lunam facta esse, ut essent signa Gen. 1.

III. O vero miserrimam voluntatis nostra conditionem, si ea ab astris regatur, ducatur, trahatur! Frustra igitur leges prescribuntur, secundum quas est vivendum; frustra laudantur boni, virtuoperantur improbi; frustra omnis est consultatio & deliberatio; Imò frustra homo est homo. Qui enim hominem hujuscemodi proprietatibus, quibus à brutis differt spoliat, ex homine facit non hominem. Sed age videamus, an hominis voluntatem, à servitute hac durâ, & iniquâ vindicare queamus: Primo arguento, quod desumptum est ab experientia, experientiam opponimus, qua sepiissime contrarium attestata est. Certe astra commune tantummodo sunt agens, si operantur: Effectus autem non à communi, & remotissimâ causâ, sed proximâ proficiuntur. Secundum argumentum, stellas non frustra conditas à D^Eo esse probat, quod optimè scimus, sed sequi propterea, eas dominium habere in hominem negamus, alias omne, quod est in mundo, imperium haberet in hominem, quia nihil in tota natura est frustra, & sic homo creature esset, omnium vilissima, quod est falsissimum. Ad tertium & postremum, quod ex Genesios cap. 1. de promptū est, ex eodem respondemus, astra regere tempora, discernere diem à nocte, lucem à tenebris, dominari vero ea voluntati hominis nusquam legitur.


Et

Et sunt signa quarundam rerum naturalium, nam multa effecta
naturalia ab astris pendent. Quo in genere sunt Solis & Luna
eclipses: Item tempestates, aëris vicissitudines, aestus, frigora, plu-
via, & id genus alia. Dependere vero actiones humanas, tam bo-
nas quam malas ab astris, illud omnino falso est. Hac enim sen-
tentia voluntatem humanam inevitabilis fati necessitate devicit,
& omnem libertatem agendi tollit, adeoq; DEum viuorum action-
um autorem constituit, cum omnis stellarum virtus à DEo unicé
proficiatur.

COROLLARIA.

1. An stellæ sint corpora animata? N.
2. An stellæ in se sint calidæ? N.
3. An stellæ de cœlo cadant? N.
4. An ex stellarum observatione, hominis alicujus, vel
civitatis, aut regni fortuna cognosci, & prædicti pos-
sit? N.
5. An vera fuerit & naturalis stella, quæ tempore nati-
vitatis Christi Magis apparuit? N.
6. An Eclipsis Solis, tempore passionis Christi facta,
fuerit naturalis? N.
7. An aspectus Planetarum alijs sint boni, alijs mali? N.
8. An Luna stellarum omnium sit minutissima? A.
9. An lux sit de essentia stellarum? N.







306. sect. 20. in hæc verba erumpens: Omne quum principium, aut à primo principio. Unia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia ruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; natura: nunquam vero corruptitur; nunquam immortalitate Deus ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem dare licet. Nam 1. Angelus tantum, & aingunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se possunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorem III.

Angelus est spiritus, qui per se in corpore, sed semper extra corpore.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore, sed semper extra corpore. per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant bona est. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi co-

359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora nunt, & natura eorum non est, corporibus ut formare, meritò per se ab omni corporis unione.

II. Sunt vero Angeli in duplice differenti boni: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essens, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur.

Quicquid autem à Deo creatum est, bonum

A 3



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 12345